

**Disputatio inauguralis medica de deliquio animi ... / [Johann Jakob Mosseder].**

**Contributors**

Mosseder, Johann Jakob, active 1692.  
Université de Strasbourg

**Publication/Creation**

Argentorati : Literis Georgii Andreae Dolhopffii, [1692]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/etm9u5hx>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
MEDICA

DE

DELIQUIO  
ANIMI,

*Quam*

Divina favente Clementia

*In Illustri Argentoratensium  
Universitate*

DECRETO ET AUCTORITATE  
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ

*Pro*

Summis in Arte Medica Honoribus  
& Privilegijs Doctoralibus ritè  
consequendis

*Solenni ac placidæ Eruditorum Censuræ  
submittit*

JOH. JACOBUS MOSSEDER,  
Argentoratis.

Ad diem 4. 17. Mens. April. An. M. DC. XCII.

---

ARGENTORATI,  
Literis GEORGII ANDRÆ DOLHOPFFII.

ILLUSTRI  
SCHENCKBECHERIANÆ  
MUNIFICENTIÆ  
DIRIBITORVM  
COLLEGIO

VIRIS

Nobilitate Generis, Munerum splen-  
dore, Consiliorum gravitate, Meritorum erga  
Rempublicam Amplitudine, Dexterrimo  
rerum gerendarum usu & scientia, undi-  
quaue maxime conspicuis,

*Mecænatibus ac Patronis Opti-  
mis, Maximis,*

Dissertationem hanc Inauguralem

*ceit*

Perpetuæ Observantiæ ac Gratiitudinis  
Monumentum

*Reverenter & obsequiose  
dicat consecratque*

Joh. Jacobus Mosfeder.





ΕΥΥ ΘΕΩ!

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS.

DE

DELIQUIO ANIMI.

PROOEMIUM.



*O*r solum viscerum atque omnino partium corporis, nullum gravem affectum pati, idque recta ratione; cum enim principium corrumpitur, nihil esse, quod ceteris, quae independeant, praeberere auxilium possit, non immerito ARISTOTELES lib. 3. de part. animal. cap. 4. pronunciavit: modo intelligatur talis affectus, qui diu durat, corque valde lancinat, atque insigniter motus sanguinis infringit. Quo sensu etiam C. PLINIUS SECUNDUS Nat. Hist. lib. XI. cap. 37. hunc Philosophi locum interpretatus est his verbis: *Solum hoc viscerum vitijs non maceratur,*

*nec supplicia vitæ trahit: læsumque mortem illico affert: cæteris corruptis, vitalitas in corde durat.* Hoc enim princeps viscus, ratione musculosæ suæ substantiæ mera machina, per quam sanguis solummodo in circulum eat redeatque, non videtur, quoniam istius motus non semper similiter, sed pro ratione indigentia fit: sed ut primaria sanguificationis officina, seu secundum HIPPOCRATEM & ARISTOTELEM fons sanguinis considerata est hæc nobilis pars; ceu in qua sanguini vitalis character imprimitur; licet qualisnam ille sit, & qua ratione id contingat, plene & plane capere nequeamus. Sicuti Sol in Macrocosmo, jucundis suis radiis temperatoque calore, omnia sublunaria fovet & conservat, ita in Microcosmo Cor, calidi nostri spiritusque vitalis scaturigo, continuo suo sanguinis per arterias ad partes appulsu, omnes has fovet, nutrit, auget & conservat: velut etiam umbra Solis terræ nox, ita umbra Cordis omnibus membris mors est. Chylus quoque in ventriculo elaboratus, & in intestinis à recrementis depuratus, per venas lacteas, ductum thoracicum venamque subclaviam ad cor abit, ac ibi nobili purpura indutus in sanguinem manifeste mutatur. Mirum hinc non videtur, quod miseri nos homines, qui teste COO *Epist. 2. ad Damag. ix. 279.* toti ex nativitate morbum sumus, periculo mortis exponamur, & circumstantibus nos tantus terror injiciatur, cum primarii hujus visceris affectibus affligimur; inter quos minimus non est noster, qui, si intensior, est viva mortis imago, *Deliquium sc. Animi*, quo correptus non secus ac truncus aut lapis quandoque concidit. Hunc itaque gra-

gravissimum & quotidie occurrentem affectum, cum mihi post exantlata per Dei gratiam examina, jussu Illustris & Gratosissima Facultatis Medicæ, Dissertatio Inauguralis ex more Academico conscribenda esset, pro hujus materia eligere, atque secundum subiectum, causas & differentias &c. paucis aliquot thesibus explicare, & quæ in curatione ejus observanda erunt, subnectere constitui. Si vero sunt nonnulla, quæ in tractatione desiderari queant, velit B. L. medicis ingenij viribus ea condonare, conatusque meos in meliorem partem interpretari, errores etiam, si qui forte occurrunt, humaniter corrigere. Adsit Deus T. O. M. divina sua clementia huic meo labori cæterisque studiis, quo in nominis sui gloriam, proximi salutem & solatium, meumque emolumentum vergant!

## T H E S I S I.

**Εκλυσις**, **Λειποθυμία** seu **Λειποψυχία**, **Συγκοπή**, **Ἀσφυξία**, unum quidem affectum, sed gradibus distinctum denotant. *Ἐκλυσιν* à *Λειποψυχία* differre, ex HIPPOCRATE *Aph. 8. sect. 7.* patet, ubi *Ἐκλυσις* & *Λειποψυχία* affectus diversi leguntur. *Λειποθυμία* & *Λειποψυχία* vero cum promiscue apud Autorem modo allegat. *l. 6. Aph. 23. sect. 1. Aph. 16. Aph. 56. sect. 5. lib. de vict. Acut. sect. 21. ix. 23. Aph. passim* reperiantur, & per eam ægri sensu motuque non minus quam animo destituantur, non est ut cum alijs has voces distinguamus, & hanc ad defectum virtutis animalis, illam vero ad vitalis pertinere dicamus. Nomen *Συγκοπή* παρά τῃ συγκόπῃ concidere vel conscindere, collabi (quia cor velut conciditur & contunditur, ac omnia vincula, quibus vita continetur, quasi discissa resolvuntur) deducitur.

Quum HIPPOCRATI & antiquis GRÆCIS usitatum non fuit, sed demum paulo ante CLAUDII GALENI tempora innotuit.

II. Vox Ἀψυχία quoque in HIPPOCRATE *Coac. prænot. sect. 2. ix. 135. & lib. 2. de morb. mulier. sect. 87. ix. 1. &c.* & verba ἀψυχῆν & λειποθυμῆν deliquio animi corripit in dicto Autore passim συνωνύμως inveniuntur. LATINIS vulgo dicitur *Deliquium animi* (quod nomen etiam, quia notissimum Latinum est, inscriptioni hujus disputationis conveniens visum fuit) item *Defectio animi, Exolutio & Lapsus virium*. Ab AUR. CORN. CELSO *de Re Med. lib. 7. cap. 37. Anima defectio*: à JUL. CÆS. SCALIGERO *de Subtil. exerc. 76. dist. 1. Spirituum subtractio* indigitatur. Quidam etiam *Concisuram* nominant, sed sine autoritate. Voces συγκοπή & λειποθυμία Latinitate etiam donatæ frequentis usus sunt. Populares vero nostri vocant *Schwachheit / Ohnmacht / quasi sine viribus, ohne Macht*. Quod ad ὁμωνυμίαν attinet, vocabulum συγκοπή Grammaticis quoque figuram, qua litera vel syllaba è media dictione tollitur, significat.

III. *Gradus*, quibus hic affectus differt, sunt notantejam CL. GALENO *lib. 1. de art. curat. ad Glauco. cap. 14.* secundum magis & minus pro causarum scilicet intensione, & plenius à MELCH. SEBIZIO *Spec. Med. pract. part. 3. sect. 4. cap. 4.* describuntur. Ubi I. & levissimus gradus est ἐκλυσις, leve quoddam animi deliquium, vel ejus quoddam principium, vel futuri deliquii nuncia. L. ANN. SENECA *Epist. 77.* lenem dissolutionem appellat, quam adferre quandam voluptatem, ait non inexpertum sibi, quem aliquando liquit animus. II. λειποθυμία, Syncope imperfecta, & hanc plerumque præcedere solita: in ea sensus & pulsus quidem languent, sed ægri rationis participes adhuc sunt, sensibusque utuntur, licet animi sensa neque voce, neque nutu, nec alio modo exprimere valeant. III. Συγκοπή,

ubi

ubi subito & vehementer omnes vires collabuntur, extrema frigent, sudor frigidus, Syncopticus inde dictus, erumpit, pulsus deficit, aut valde rarus, parvus & obscurus est, facies pallet, sensu & motu una cum ratione privamur, totum corpus viribus exhauritur, ita ut interdum urinæ & excrementa alvi effluent: hæc si eo usque devenit, ut in toto corpore pulsus aboleatur, ἀσφυξία dicitur, & proximus ad mortem gradus est, Medicique operam fere eludit.

IV. Longe vero majorem inter Lipothymiam & Syncopen differentiam esse LUDOV. MERCATUS existimat, qui referente DAN. SENNERTO *prax. lib. 2. part. 4. cap. 6.* in illa cerebrum solum & primario offendi, & organa sensuum spiritibus animalibus, quia retrocedunt, destitui, & ita actiones suas exequi non posse; in hac vero cor primario & proprie affici, & consecutive etiam omnes alias actiones lædi statuit. Verum Lipothymix æque ac Syncopes subjectum principale cor, non cerebrum esse, atque ita non specie sed gradu tantum differre, ex sequentibus patebit. Sed sufficiant hæc de nomine, pergendum est ad rem ipsam, ubi primo quidditas rei consideranda occurrit.

V. Hinc talem *definitionem* aut potius *descriptionem* Syncopes, utpote tertii gradus, qui duos priores suo sub ambitu includit, & curationem adhuc secus ac ἀσφυξία admittit, damus: *Syncope est præceps virium omnium, maxime vitalium, lapsus, cum pulsu fere abolito, frigidoque sudore, à majori spirituum vitalium defectu, & denegato horum in partes alias influxu exortus.*

VI. Genus hujus definitionis est præceps virium lapsus: hic enim ut essentiam affectus hujus in genere determinat; ita & rationem formalem in specie constituit. Et pertinet hoc genus mali ad classem symptomatum, & quidem actionum læsarum, valde nimirum imminutarum, imo quandoque ad sensum abolitarum, ubi miser ægrotans sine pulsu instar lapidis aut trunci decumbit.

VII. Ratio autem *formalis* in eo consistit, ut lapsus virium præceps & subitaneus sit. GALENUS hoc confirmat, qui *lib. 12, M. M. cap. 5.* syncopen κατὰ πῶσιν ὀξείαν τῆς δυνάμεως, repen-



repentinum virium lapsum esse dicit; clarius adhuc PAUL. ÆGINETA expressit, dum teste GUERN. ROLFINCIO *epit. lib. 2. part. 2. cap. 2.* illam ἀθρόαν κατάπλωση τῆς δυνάμεως, subitum virtutis lapsum nominat, innuens voce Græca celeritatem pariter ac magnitudinem: qua ratione ab aliis cordis affectibus, in quibus vires paulatim deficiunt, distinguitur. Nemo etiam ignorat, omnes tandem morbos ad eam cordis & arteriarum, quæ sensum fit, imminutam vel ablatam virtutem tendere; nec enim autore GALENO *lib. 5. de loc. affect. cap. 1.* animal omnino mori potest, ni cor afficiatur. Qui vero cum FRANCISCO de le Boë SYLVIO *lib. 1. prax. med. cap. 34. §. 3. & 4.* hunc affectum à pulsu parvo & languido deducere, & hac ratione per sufflaminationem motus cordis definire malunt, non multum sententiæ modo dictæ adversantur, siquidem hac ipsa nihilominus læsam actionem cordis agnoscunt.

VIII. Qualisnam autem *Actio cordis*, quæ hic læditur, animalis, an vero vitalis sit, adhuc maxime controversitur, præcipue ab ijs, qui cor merum musculum esse, & sic animale potius, quam vitalem actionem lædi censent, eo quod naturalis cordis motus actio quædam animalis, quæ ope spirituum animalium peragitur, existat. Verum quod HIPPOCRATES *lib. de Corde sect. 4. tx. 2.* cor musculum valde fortem nominet, id non intelligendum est de actione arbitraria, sed de *πιλήματι σαρκὸς*, densitate ac constrictione carnis i. e. musculosa illius substantia. Cæterum cor musculum non esse, uti NICOL. STENONIUS & alii acriter defendere voluerunt, THOM. BARTHOLINUS *anat. lib. 2. cap. 6.* & ISBRAND. DIEMERBROECK *anat. lib. 2. cap. 6. & lib. 5. cap. 1.* abunde docuisse videntur. Nec motus cordis, sicut illi arbitrarii, qui ab influxu spirituum animalium dependent, quales præcipue musculorum sunt, ad arbitrium nostrum, & ideo solum mediantibus spiritibus animalibus, per nervos in fibras influentibus, perfici potest: nam præter id, quod cor primum ac principale αἱματώσεως  
orga-

organum, sanguinisque fons, & nervi illius non admodum insignes sint, huicque officio neutiquam sufficiant, ipsum quoque cor ante cerebrum, spirituum animalium officinam, formatum conspiciatur, atque alias rationes à DIEMERBROECKIO *anat. lib. 2. cap. 7.* allegatas, constat etiam ex Apoplexia, cor tantum à spiritibus animalibus non moveri; fieri enim non posset, ut in hac repentina actionum animalium, ob prohibitum spirituum animalium influxum, abolitione cor motum suum servaret, & pulsus plerumque vegetus adhuc, durusque valde perciperetur; nisi vires resolutæ potius, quam oppressæ, illum debiliorem, atque, quod contingere quandoque solet, vix observabilem reddiderint.

IX. Porro in definitione hujus affectus *in th. V.* proposita, Vitalium præcipue spirituum viriumque lapsum, & denegatum illorum in partes alias influxum, subjecti pariter atque causæ ratione permotus notavi; cum enim cor maxime patiatur, plurimumve debilitetur, fit ut non solum hujus, sed & omnes aliæ totius corporis actiones feriantur & cessent; cordis siquidem influxu non continuato necesse est, omnes reliquarum partium actiones concidere. Accedit & hoc notante LAURENT. STRAUSSIO *Paless. med. part. 2. progymn. 9. §. 2.* quod, quemadmodum omnes pulsum actionem vitalem esse unanimiter concedunt, ita in animi deliquio plurimum imminui, imo ad sensum aboleri similiter confiteantur. Interim plerasque vires, quarum in definitione mentio facta est, collabi manifeste apparet, quandoquidem animalium quoque jacturam, sensus & motus quædam veluti cessatio ostendit; naturalium vero lapsum sudor ille frigidus, in facie & collo potissimum erumpens, declarat. Reliqua tum subjecti, tum causarum consideratio, quæ mox sequitur, plenius dilucidabit.

X. Cor deliquii animi subjectum, & quidem principale esse, ex definitione, quæ vitalium præcipue virium & spirituum lapsum indicat, satis patet: nihil enim dicente ARE-

TÆO lib. 2. de caus. & sign. acut. cap. 3. corde ad vitam capitalius, & Syncopen istius ægritudinem esse, aut vitalis in eo potestatis detrimentum, omnino credendum est. Totum etiam corpus, quod omnibus viribus destitutum, & sensu motuque privatum, hoc in affectu, mortuo quam vivo corpori similis est, adæquati subjecti rationem sibi vindicare potest.

XI. Non desunt interim, qui cerebrum etiam hujus affectus subjectum constituunt, dum in lipothymia illud solum affligi, virtutemque animalem solam subito labi, adeoque illam nullo modo ad vitalem pertinere, in syncope vero corporati, ejusque virtutem vitalem primum & per se cadere, reliquas vero partes per consensum affici, existimant; ex quibus est AETIUS, qui *tetrab. 4. serm. 4. cap. 68.* saltem leve deliquium animi, sine cordis affectione contingere posse admittit, & MERCATUS, de quo *in th. IV.* dictum est: hos RAYM. IOH. FORTIS sequutus est, quippe qui *Consult. tom. 1. cent. 1. cons. 58.* horum affectuum ortum potius à cerebro, quam à corde derivandum esse credit; nam secundum ipsum exolutio, cum sensus & motus sola perturbatione; animi defectus, cum sensus & motus integra ablatione; syncope vero cum omnium actionum, imo & ipsius pulsus privatione fit. Verum enim vero, sensus & motus aliæque actiones animales læduntur, quia cerebrum secundum CASP. HOFMANNUM *Inst. med. lib. 3. cap. 80. §. 3.* non accipit id, quod à corde secundum naturam accipere debet; nec spiritus animales salvi esse possunt, si vitales, ex quibus illi generantur, minus recte sese habent: pulsus etiam in omni lipothymia aliquo modo læditur, nec plane incolumis est, licet MERCATUS contra experientiam, sine ratione id negaverit. ZACUTUS LUSITANUS *Prax. hist. lib. 8. cap. 9.* utramque sententiam veram pronuntiavit, cum hac tamen limitatione, ut universaliter non accipiatur, nec negandum, deliquium animi quodam etiam tempore oriri posse, solum cerebro primo & per se laborante, & ex sola facultatis animalis læsione; simul tamen advertendum esse addit, quod,  
quando

quando hac ratione deliquium animi contingit, brevi tempore cor & facultas vitalis cum cerebro consentiant, ob magnam cognationem, quam partes principes inter se observare solent. Distinguendum igitur est cum GALENO *lib. 3. de loc. aff. cap. 2. & lib. 12. M. M. cap. 5.* inter subjectum affectus & causam.

XII. Interea Cor laborat vel per *ιδιοπάθειαν*, causa in ipsomet generata, vel per *συμπάθειαν* affligitur; quoties e. g. Ventriculus, Lien, Uterus, aut alia viscera, transmissa in illud peccante materia, symbolum suum conferunt. Et fere nulla corporis nostri pars est, quæ læsa cor non in consensum trahere, ac animi deliquium inferre possit; hoc enim ex pede aut digito colliso ortum, JOHANNES SCHENCKIUS *Observ. med. lib. 2. de an. del. & sync.* refert: morsus quoque Anseris, circa primam articulationem pollicis sinistrae manus, in fœmina quadam, frequentes lipothymias effecisse, à MATTH. TILINGIO *Eph. Nat. Curios. dec. 2. ann. 2. obs. 75.* dicitur. Plura de his infra *in thesi XXVI.* videantur.

XIII. Hoc autem nobile viscus affligitur, præcipue quoad *impetum facientes* spiritus, nempe vitales, quorum æque, satis hoc edocente JOHAN. ANTONID. *van der LINDEN Medicin. Physiolog. lib. 1. cap. 6. art. 17. §. 132. & seqq.* ac τῆς *ἰσχυρότητος*, quæ pari passu cum illis ambulat, fons ac focus est; his siquidem salvis, & secundum ordinarias naturæ leges, in reliquas partes influentibus, hæ omnes blando calore perfunduntur, illarumque actiones, cæteris paribus, rite procedunt. Nec dictæ partes solummodo, sed & *contentæ*, secus ac ROLFINGIUS *l. c.* putavit, detrimenti participes fiunt; corde enim male sese habente, & in motione sua impedito, facile contingit, ut nec chylus sanguini assimilari possit, nec sanguis, ut debebat, pro spirituum generatione attenuetur & exaltetur, contra vero à debita sua temperie recedat, ac pro varietate causarum accedentium, multa & varia vitia contrahat. Cor quoque quoad *firmam & solidam suam substantiam*

tiam immune non est, cum nimirum spiritus insitus, crasis, tonusque valde debilitatur, ut fibræ, nimia potissimum harum extensione, vel defectu spirituum animalium, aliave causa superveniente, sese contrahere rursusque dilatare nequeant.

XIV. Cæterum instituti ratio non permittit, ut admirabilis Cordis structura, ejusque situs pluribus hic describantur; neque etiam necessarium videtur, cum TH. BARTHOLINUS *anat. lib. 2. cap. 6. & seq.* RICHARD. LOWERUS *in pescul. de corde tract. cap. 1. & DIEMERBROECK anat. lib. 2. cap. 6. & 9.* & plerique Anatomicorum id abunde præstiterint.

XV. *Causa Deliquii animi immediata & proxima*, major spirituum vitalium defectus constitutus est; cum enim inveniuntur ALB. SEBIZIO *Exercit. pathol. pag. 339.* deliquium animi ejus naturæ affectus sit, qui subito & ex inopinato præsto adesse, & brevi rursus evanescere soleat, necesse est, ut causam in ejusmodi subjecto, quod facile affici, facileque rursus liberari possit, quæramus: hujus autem generis est spiritus vitalis, quo nihil in corpore est subtilius, & consequenter nihil, quod citius dissipari, aut alio modo affici queat. Non vero, ut hic affectus producat, sufficit, ut hic spiritus, vel quia non generatur, vel quia genitus dissipatur, deficiat; verum etiam necessarium est, ut, qui in ambitu corporis reliquus adhuc hæret, extrema magis vel minus, pro majori vel minori suo à circumferentia ad centrum motu, frigida relinquat: sanguinem vero omnem simul, cum hoc spiritu ita moveri, legibus circulationis sanguinis, aliisque phænomenis non respondet. Defectus etiam ille allegatus est Major: quoniam nec levis & exiguus, cui cor facile resistere solet; nec etiam totalis spirituum horum defectus, quippe qui subitanam mortem induceret, h. l. intelligi potest & debet.

XVI. Hanc ipsam causam proximam, per Rarefactionem aut Fermentationem sanguinis, ad tempus nunc brevius, nunc longius imminutam, exprimere malunt Recentiores cum FR. de le Boë SYLVIO, qui *l. c. §. 43.* arbitratur; omne deliquium animi proxime & immediate deduci debere, ab ipso sanguine

sanguine ad cor utrinque accedente, atque iis omnibus, quæ tum secundum tum præter naturam, ipsi conjunguntur, & una cum ipso ad cor deferuntur, ipsiusque effervescentiam naturalem turbant & immutant, hocque modo sanguinis rarefactionem imminuunt, ex quibus *l. c. §. 66.* acidum, quod in sanguine dominatur, & majori copia ad cor deducitur, primas tenet: huic causæ MICHAEL ETTMÜLLERUS *Colleg. pract. part. 1. cap. 16.* alique plures etiam spiritus animales, in motione cordis seu constrictione subito deficientes, adjungunt. Quum vero hi Auctores ex fermentatione vitali, & sanguinis rarefactione spiritus vitales emergere, hosque nihil aliud esse, quam subtiliorem & volatilifatam, ut loquantur, sanguinis partem fateantur, hoc ipso, dum turgescunt & fermentationem deficientem allegant, imminutam spirituum vitalium generationem, & consecutive horum defectum agnoscunt. Præterea causam proximam hujus affectus, in spiritibus animalibus subito deficientibus, frustra quæri, patet ex illis, quæ de motu cordis *in lib. VIII.* dicta sunt.

XVII. *Paracelsus*, qui ob singulare in Galenicos odium, summam in verbis obscuritatem omni studio affectat, mira hic usus metaphora, Syncopen Guttæ speciem constituit, Guttam autem definit, ablationem synoviae à sua parte, quæ synovia ipsi est virtus retentiva & motiva, h. e. conservatio omnium facultatum vitalium: cum igitur à corde synovia hæc separatur, & salutaris illa stella, interpositis nebulis crassis, eclipsin patiat, tota regio vitalis, tenebris horribilibus & lethiferis umbris circumfunditur. Sed quid ex obscuris hisce verbis colligi potest? Nihil aliud sane, quam vitalium virium lapsus. Hunc ceu sub larva quadam, JOH. BAPTIST. HELMONTIUM æmulari, satis manifestum reddunt ea, si propius inspiciantur, quæ *in illius Tract. Complex. & Mistion. Element. Figmentum inscripto num. 41. & seqq. alibiq; passim* de Syncope leguntur. Nec majoris ponderis hæc sunt, quæ JOHAN. DOLÆUS *Encyclop. Medic. lib. 2. cap. 7. §. 10.* de suo Cardimelech differit, quem ope socii sui Microcosmetoris militibus destitutum, ab ingruente

hoste facile interimi, vel ad tempus vinculis quasi detineri, & arcem ipsius lumine destitutam obnubilari ait: usque dum spiritus de novo subveniant, & non solum Rex Cardimelech ab hoste liberetur, sed & hospitium ejus de novo illuminetur, unde quasi nova vita prodit &c. Quorum præcipua expositionis lux, ex Veterum de spiritu Vitali & Animali doctrina desumenda est.

XVIII. *Causæ Mediatæ proximiores* si in Massa Sanguinea inquirantur, labore neutiquam irritò id fieri arbitror, quandoquidem spiritus vitalis, non à sanguine diversus, sed huic exactissime & intime unitus, massæ sanguinæ inest, ejusque potiore partem absolvit, ita tamen constitutus, ut facile separari, & ob subtilitatem suam, facile quoque dissipari possit. Num vero in hoc Principium Vitale solum consistat, & unde sanguinis, & hinc totius corporis calor, an à sanguinis fermentatione, aut ab illius effervescentia, aut à vitali flammula in corde accensa, an vero ab ambiente fluido, Aëre nimirum sit, fusius tractare, ad præsens institutum pertinere non videtur, nec me decidendis hisce controversiis, quæ Doctissimorum Virorum ingenia multum exercent, parem judico. Interim sufficiat, nos certos esse, tum de spirituosæ hujus substantiæ in sanguine existentia, tum de eo, quod tantum caloris & spiritus, quantum sanguinis, habeamus. Quoties itaque massa sanguinea his suis partibus spirituosis, ceu jucundo genio suo, defraudatur, aut ejusdem *νεῦν* seu temperies vitiatur, accidit, ut motus cordis non tantum varietur, sed & varia inde cacochymia vitia coacerventur, quibus spirituum vitalium, à corde in reliquas corporis partes, influxus turbatur: id quod diversis modis causisque evenire posse, res ipsa loquitur.

XIX. THOMAS WILLIS *Pharmac. Ration. sect. 6, cap. 1.* massam sanguineam, tum quoad Accensionem, tum quoad Crasin suam, perverti aut depravari statuit; quoad accensionem, quando videlicet cruor ob particulas sulphureas, à variis causis nimis absumptas & depressas, fere vapidus & effæctus cyadit,

evadit, proindeque parce admodum & minute accenditur; vel quando ob particulas sulphureas nimis solutas, & in effervescentiam actas, plus debito accenditur, ac calorem nimis intensum & valde molestum, in toto corpore dispergit: quoad crasin vero suam sanguis, & quidem præprimis in febribus periclitatur, nempe vel si ob mistionis vinculum nimis strictum, illius particulæ ita inter se complicantur, ut inutile ab utili, & tenue à crasso extricari aut secerni nequeat; vel si sanguinis compages, à particulis heterogeneis nimis laxatur & dirimitur, ut mistionis vinculo soluto, ubique in partes secedere queat. Hi vero modi ad duos reducuntur, & crasis massæ sang. vitiari dicitur, quoties vel illius partes degenerant, vel quæcunque aliæ particulæ heterogeneæ ipsi commiscentur: sive jam hæc cum Veneranda Antiquitate, sub nomine Bilis, Pituitæ &c. notentur: sive cum Chymicis, qui Sal, Sulphur & Mercurium, rerum principia constituunt, per particulas salinas, volatiles urinosas & oleosas, ab efficacia sua deficientes explicentur: sive cum Recentioribus, quibus OTT. TACKENII Acidum & Alkali placet, per exaltationem vitiosi acidi, sanguini supervenientem exprimantur; illis, qui de re potius quam verbis solliciti sunt, perinde erit, in primis quia nec salia, multo minus acidum, sine humore in corpore existunt. Quæ igitur analogica explicandi ratio, quadantenus admitti potest, quod, quemadmodum sanguinem extravasatum, sed calentem adhuc, à variis liquoribus chymicis admistis, multis modis alterari, ex OL. BORRICHII *Th. Bartholini Epist. Medic. cent. 3. ep. 97.* facto in cane vivo experimento constat; ita quoque massæ sang. crasin, à diversæ naturæ particulis illam subeuntibus, immutari posse, rationi & experientiæ consonum videatur: in hac vero explicatione totus rei cardo non vertitur.

XX. Sub hac *inægoria* massæ sanguinæ, GEORG. WOLFG. WEDELIUS *Eph. Nat. Cur. dec. I. ann. 2. observ. 197.* non sine ratione sentit, latere posse, *Grumescentiam* quandam, à concentrante & fixante humore vel vapore inductam, quæ œconomiam



nomiam ipsius turbat, ac lipothymias & syncopes excitat, si in gradu majori contingit; sin vero minori, palpitationem tremoremve cordis inducit. \ Hanc etiam P. SALIUS DIVERSUS *lib. de Affect. partic. cap. 4.* jam olim observavit in puella XIV. annum agente, quæ syncope cardiaca, quia in apertione corporis post mortem, cerebrum ab omni affectione præternaturali immune inventum fuit, subito extincta judicabatur, cujus sanguis, in arteria magna & in vena cava, cunctus ita coaluit, ut apprehenso illius sanguinis concreti uno principio, totus ita integer ex vena & arteria educeretur, perinde ac gladius ex vagina extrahi soleat. Sic famulus quidam jejunus HENRIC. SMETIO *Miscellan. medic. lib. 10.* testante, qui ante de nullo malo questus fuerat, in subitaneum animi deliquium præcipitatus, eodemque oppressus mox interiit; in cujus anatome facta, dexter cordis ventriculus, simul cum auricula ejusdem, nigro, crasso, coagulatoque sanguine, multoque flatu distentus apparuit, quin & in sinistro cordis sinu, sanguis non roseus floridusque, qualis arteriarum esse solet, sed nigricans quoque crassusque, nec is quidem copiosus, sese obtulit: qua sanguinis cacochymia & crassitie, vitalis spiritus suffocatus fuisse, dicto Autori videtur. Quæ grumescencia sicut in totum non neganda, ita quoque in tantum extollenda non est, ut cum FRANCISCO de le Boë SYLVIO *l. 6. § 89.* animi deliquii & symptomatum ejus ortus, partim à pituita lenta & glutinosa, partim à succo acido, & quandoque simul austero ipsi admisto, solum & semper deducatur. Nec nimium ex ejusmodi exemplis, qualia modo allegata sunt, concludi debet: siquidem non omnino certus quis esse possit, an non potior causa adfuerit, & an non sanguis post mortem demum coaluerit. Latere quoque posse sanguinis nimiam *Rarefactionem*, evidens est in febris ardentibus, in quibus summa sanguinis rarefactio deprehenditur, & nihilominus animi deliquia accidunt. Latere quandoque etiam posse, peregrinam quandam præternaturalem sanguinis *Turgescentiam*, à flatu vel humore orgastico investam, fibras-

fibrasque cordis ita distendentem, ut motus circulatorius sanguinis, & influxus spirituum animalium interrumpantur, patet ex iis, quæ de Tensione cordis infra *meth. XXV.* dicuntur.

XXI. Cum igitur sanguis arteriosus, ob turbatum illius tum intestinum, tum circulatorium seu progressivum motum, aut ob fractam à variis affectibus constitutionem cordis langueat, imo deficiat, *spiritus vitales* vel plane non, vel ad minimum non in ea quantitate & qualitate, quibus opus est, *generantur*. Generari etiam *dissipantur*, ob quasvis immodicas cujuslibet materiei, per quemcunque etiam locum factas evacuationes *Aph. 51. sect. 2* ob vigilias, inedias, ambientis æstum & alia. *Suffocantur & obruuntur* h. e. motus illorum cum sanguine impeditur, ob plethoram, venarum interceptionem *HIPPOCRATIS lib. de vict. acut. sect. 37. ix. 1.* quem affectum *IOH. RIOLANUS Encheir. Anatom. lib. 3. cap. 8.* æque ac Apoplexiam Germanis familiarem esse scribit, propterea, quod Athleticum corporis habitum, ex comestationibus & perpotationibus, à prandio ad horas nocturnas protractis, acquisitum liberali Venæ sectione exsolvere non curent: item ob subitum illorum ab extremis regressum; ut in terrore, metu & consternatione repente oborta fieri solet: aut copiosis halitibus, circa cor collectis, vel aliunde ad cor transmissis; licet *TH. WIL- LIS l. c. cap. 3.* cor à vaporibus impeti neget, sed causam in magnam istam affinitatem, ac intimam communicationem, quam nervi *splanchnici*, ut ipse loquitur, cum cardiacis habent, solum rejiciat. *Avertuntur* à corde in acerbis cruciati- bus, quales se offerunt in nephritide, colica, aliisque affectibus. *Corrumpuntur* à malignis & venenatis humoribus, vel vaporibus, aut in corpore genitis, aut extrinsecus assumptis vel admotis.

XXII. Videantur etiam *Cause Mediata Remotiores*, ex tri- plici Rerum Medicarum classe desumptæ, quarum prima *Re- rum Naturalium* est. In his statim *causa sine qua non* dici solita se- se offert, & est temperamentum debilius, seu innata vel adsci- titia cordis, vitalisque virtutis imbecillitas, ob quam sexus *fœmineus* ætasque *senilis*, magis huic affectui obnoxia sunt, ac

etiam hæc vel illa persona, in animi deliquium, ex causa quædam, quæ in alia non ita facile hunc effectum producit, conjicitur. *Peculiaris* deinde *structura cordis*, quod tantæ molis, ut thoracem fere totum occuparet, DOMINIC. de MARCHETTIS *Anat. cap. 10.* quodam tempore observavit: sic maximum quoque & emaciatum, unicam tantum cavitatem, unciis XVI. sanguinis nigerrimi repletam habens, in viro IV. annos cordis palpitationem perpesso, & tandem lipothymia extincto ANTONIUS de POZZIS *Eph. Nat. Cur. dec. 1. ann. 4. obs. 40.* vidit. Nonnulli etiam ob *ἰδιοσυγκρασίαν* ex solo odore, suavi quoque, qualis est fl. Rosarum, in animi defectionem incidunt, uti exempla in JOH. RHODIO *Observ. medic. cent. 3. obs. 99.* & ETTMÜLLERO *l. c.* extant. HANNEMANNUS *Eph. Nat. Cur. dec. 2. an. 1. obs. 72.* de Socero suo, & *l. c. ann. 4. obs. 51.* de prosoero sua testatur, quod ille Pomorum, hæc vero Menthæ odorem vel hujus præsentiam, citra animi deliquium ferre nequiverint. / Quidam etiam vir honestus *l. c. ann. 8. obs. 102.* à juventute sua, ad coopertos linteo cibos adeo exhorrescebat, ut in publica mensa derepente animo concideret, de apertis iisdem nihil tale sentiens. Sic dantur, qui caseum, cæpas, allium, porrum, vinum, pluraque alia ita avergantur, ut, si talia assumere cogantur, in lipothymiam cadant: id quod exemplo cujusdam, qui jusculum, cui porrum se ctile inspersum erat, in mensa degustaverat, MELCH. SEBIZIUS *l. c.* probat. Notum etiam est, quosdam feles, mures, araneas, vel alia animalia insectave adeo extimescere, ut, si ista vel solum videant, vel de istis aliquid audiant, prorsus exhorrescant, & interdum animo linquntur: imo mirum, nonnullos à felibus ita abhorre, ut, quamvis illas non videant, neque clamantes audiant, nec aliis, qui ipsis assident, quicquam de felibus constet, adesse tamen conquerantur, & quo removeantur, precibus instent, quod sibi metuant, ne animi deliquio tententur. Hæc autem videntur ea esse, quæ, ut L. ANN. SENECA *epist. 57.* loquitur, nulla virtus effugere potest, & ubi non est timor, sed naturalis affectio inexpugnabilis rationi: qua-

quare etiam fortes quidam, & paratissimi fundere suum sanguinem, alienum videre non possunt: quidam ad vulneris novi, quidam ad veteris & purulenti tractationem inspectionemque concidunt, & relinquuntur animo. Ex sola fortiori & intensiori *imaginatione*, syncope afflictus est GUIL. FABRIC. HILDANI servus equo insidens, cum illi, ut ipse *epistol.* 43. notavit, calamitosas strages bellicas narrasset. Ad hanc classem referri quoque potest *habitus* totius corporis *ravior*, huic affectui facile occasionem præbens, quod non solum corpus ad majorem diaphoresin, spirituumque jacturam disponat, sed & effluvia, nimirum illo à levi etiam frigore, aliave causa, constricto, & sic insensili transpiratione suppressa, in corpore detineantur,

XXIII. In secunda classe harum causarum, *Rerum sc. Nonnaturalium*, occurrit *Aëris defectus*, de quo animalia Antliæ pneumaticæ Boylianæ inclusa restantur. Summam autem aëris ad vitam conservandam necessitatem esse, præter HIPPOCRATIS *lib. de Flat. f. 6.* testimonium, res ipsa loquitur; quandoquidem in inspiratione receptus, & M. S. admixtus, sanguinem ad debitam suam, pro futura spirituum generatione, subtilitatem, & ita ad ultimam suam perfectionem vitalem disponit: qua ratione vero id fiat, prolixè explicare, instituti nostri nunc non est. Præter aëris defectum, qualitatum quoque excessus, & malignitas illius huc pertinent; non raro enim animi deliquio corripuntur, qui ad effodienda metalla, in profundas illas fodinas ærarias, velut in viscera terræ descendunt, aut cryptas, puteum recens effossum, vel diu obtectum, de quali observatio quædam à NICOLAO de BLEGNY *Zodiac. Med. gall. ann. 1. mens. Novemb. obs. 8.* consignata est, ingrediuntur. Fumus etiam candelæ non penitus extinctæ, aut aliarum rerum accensarum, in lipothymiam conjicit. Memorabile hic Argentorati exemplum accidit ante triginta, & quot excurrunt, annos, cum in cella quadam, ex incuria Tyronis, Terebinthina aliæque merces (nam erat in ædibus Aromatarij alicujus)

C. 2. flammam

flammam concepissent, & hæc per aliquot dies, denegato aëre, suppressa fuisset, audaciores vero quidam bajuli, eum in finem conducti, in cellam descenderent, ut latentes ignes, & denuo emergentes hinc inde flammam extinguerent, eos omnes deliquio correptos, & mortuis similes, funibus, quibus sub brachiis firmati erant, ex cella extrahere & refocillare necesse fuit. Qui ex aëre calido frigidum, & è frigido vicissim in calidissimum, qualis est balneorum, nonnunquam subito intrant, facile animo linqui posse, in vulgus etiam notum est. Quid *Cibi* pravi succi valeant, apud Diæticos scriptores passim videre est; sic GALENUS *lib. 2. de Alim. facult. cap. 69.* se quendam novisse scribit, qui post largiorem Boletorum, non satis elixorum, usum, in animi deliquium inciderit, ac servari ægre potuerit. *Cibi* etiam non pravi, in tempestive tamen sumpti, vel contrariis permixti, eundem effectum præstant, præsertim in iis, qui à primordiis tenerisque annis, tam exquisito sensu præditum nacti fuere ventriculum, ut hac de causa facile in defectionem animi incurrant; prout in Illustri viro, cujus FORTIS *l. 6. cent. 2. conf. 59.* mentionem facit, ex esu calidiorum & actorum ciborum, frequenter evenisse legimus: sic vir ille primarius Exconsul apud HENR. ab HEER. *obs. 15.* cum initio cœnæ lac crudum & multum lactucæ acetosæ comedisset, vini que mensuram bibisset, superingesto etiam frusto casei, statim se lecto commisisset, tribus elapsis horis, crebris recurrentibus lipothymiis vexatus est; & alius notante JOH. NICOL. BINNINGERO *obs. & cur. cent. 2. obs. 63.* cum vitulinos pedes binos elixos, avidius in prandio consumsisset: cujusmodi errores adhuc fere quotidie obvii sunt. Similem effectum *Inedia* quoque procurare potest, cujus exempla in GALENO *comm. Aph. 41. sect. 2.* videri, & in senibus decrepitis, quia *Aph. 14. sect. 1.* ipsis inest caloris parum, & paucis propterea succendiculis egent, animadverti queunt. Ex hausto etiam post longum, subardente folis æstus, lusum potu vini frigidissimi, quidam defecisse à JOH. SCHENCKIO *l. 6.* dicitur, *Somnus & Vigilia, Motus & Quies* etiam exclu-

excludenda non sunt, siquidem huic affectui, vel spiritus dissipando, vel eosdem languidos reddendo, ansam dare possint. Nec minor *Excretorum & Retentorum* efficacia est, cum menses retenti, observatore BALTH. TIMÆO *epist. & conf. lib. 2. ep. 21.* vel iidem difficulter fluentes, ex GREGOR. HORSTII *obs. med. part. 2. lib. 1. obs. 5.* annotatione, puellis animi deliquium interdum inferant. *Animi* denique *Pathemata*, imprimis vehementiora, fatis quoque potentia hic sunt; sic gaudio duæ matres, filios ex pugna, qua obiisse crediderant, reduces videntes, teste TIRROLIVIO *lib. 22. cap. 7.* exanimatæ sunt; ex risu nimio honestam matronam, in lipothymiam lethalem conjectam esse TUDECIUS *Eph. Nat. Cur. dec. 1. ann. 9. & 10. obs. 125.* meminit; & Zeuxis risu interiisse fertur: nec minus valent terror subitanus, timor, mœror, sicut in nobili juvene, ob matris mortem mœstissimo, HENR. ab HEER. *obs. 26.* observavit, ira, tyrannus ille affectuum, ex qua mortem consecutam fuisse, JOH. RUD. CAMERARIUS *Syll. Memor. cent. 10. part. 52.* exemplis probat. Adhæc notatu digna sunt, quæ LAZ. RIVERIUS *prax. med. lib. 8. cap. 1.* de nobili virgine, ex quovis animi motu etiam leviori, ab ineunte ætate, huic affectui obnoxia refert; quæ cum egregio adolescenti, qui istam ardenter deperibat, matrimonio jungeretur, ac in præsentia consanguineorum, calamo à tabellione ipsi tradito, nuptialem contractum subscriberet, vixque dimidiam syngraphi sui partem exarasset, subito in terram concidit, exanimis & omnino demortua.

XXIV. Huic classi subnecti possunt *medicamenta*, præsertim vehementiora, ac intempestive adhibita purgantia, quibus assumptis sæpius animi deliquium supervenire solet; *Balnea calida*, *Venus nimia*, cujus exempla TIMÆUS *cas. medic. lib. 2. cas. 17.* & DOLÆUS *l. c. §. 12.* recensent: imo in Veneris usu mortui, in JOH. SCHENCKIO *obs. med. lib. 4.* & JOH. BENED. SINIBALDO *Geneanthrop. lib. 9. tr. 2. cap. 21.* leguntur. Quidam etiam ex Venæsectione, in ipsa sanguinis effusione, nonnulli soluta demum ligatura, occlusoque vulnere, in ani-

mi deliquium incidunt; idem ante V. S. ob metum contigisse, PETR. FORESTUS *obs. & cur. lib. 7. obs. 11.* notavit: Similiter nobilis matrona quædam apud HILDANUM *cent. 6. obs. 12.* cum consanguineæ, cui V. S. administrabatur, adstaret, & intensius sanguinem profilientem intueretur, in hoc incidit, & postero die abortum fecit. Ut taceam illos duos, quos GALENUS *lib. 9. M. M. cap. 10.* refert se vidisse, cum ipsis sanguis mitteretur, in Medicorum manibus perire, qui postquam animo defecissent, nunquam revixerunt. Multos etiam ex profluvio sanguinis intermori, experientia docet in vulneratis. Post *inunctionem capillorum*, pro contrahenda flavedine, cum facto ex Ranunculo unguento, puella aliqua derepente lipothymiam passa est, autore JOH. MURALTO *Eph. Nat. Cur. dec. 1. ann 7. obs. 95.*

XXV. Ex *Rebus præternaturalibus*, quæ tertiam classem constituunt, dantur non solum cordis *intemperies*, sed & *morbi conformationis unitatisque solute*, sic FRANC. SANCHEZ *lib, obs. pag. 372.* maximum in corde apostema, mediam ejus partem occupans, in Bibliopola, levi lipothymia sæpe prehensio, invenit, & aliud in dextra cordis auricula NICOL. TULPIUS *obs. lib. 2. cap. 16.* vidit; sic etiam pericardij, mediastini, pulmonum, diaphragmatis, ventriculi, hepatis, renum &c. p. n. affectus, varia quoque, vel in ipso corde cum vasis, vel in capsula ejus, post dissectionem cadaverum inventa, qualis est polypus, (de quo Disputatio ab *Excell. & Exper. Dn. D. SCHEIDIO* conscripta extat) calculi, sanies, putris & fœtidus humor, accusari hic possunt: de his omnibus observationes in THEOPH. BONETO *Anat. pract. lib. 2. sect. 9. & 10.* notatas videre licet. Huc pertinent *evacuaciones nimie*, tum humorum naturalium, sanguinis v. g. in nimis hæmorrhagiis, seminis vel sponte effluentis vel ob nimiam Venerem excreti, seri per nimium sudorem; tum etiam præternaturalium, ut est aqua Hydropicorum, & pus Empyicorum *Aph. 27. sect. 6.* Item ex *tuberculi introrsum eruptione* *Aph. 8. s. 7.* aliisque partium tam internarum, quam exter-

externarum abscessibus ruptis, animi defectio fieri potest. Syncopen lethalem & inopinatam, ab *interceptione nervi cordis implantati*, à feri è capite in hunc depluvio factam, CAR. PISO *tr. de seros. illuv. sect. 3. cap. 1.* & NATHAN. HIGHMORUS *disq. anat. lib. 2 part. 2. cap. 3* referunt, quem vero affectum non sine ratione Apoplexiam potius, quam Syncopen fuisse SENNERTUS *l. c.* judicat. *Tensio quoque cordis* lipothymix causa à RUD. JAC. CAMERARIO *Eph. Nat. Cur. dec. 2. ann. §. obs. 53.* allegatur, & experimento facto in cane vivo illustratur, cui si in venam jugularem aër vehementer inflabatur, vitam ademptam fuisse, si vero aër leviter immittebatur, canem subito quidem collapsum, immobilemque jacuisse, sed tandem sensim & sensim sese rursus collegisse observavit. Ex quo experimento, quum flatus extra debitam sphaeram i. e. cavitates, in quibus hospitari solent, migrare, & varias corporis partes magna cum noxa inflare, ex illorum in hypochondriacis impetu, in antecessum probasse *l. c. in schol.* dicatur, non sine probabili ratione concludit: Orgasum flatulentum etiam, dum ad cor pertingat, tendendo illud lipothymiam inducere posse; cujus asserti hanc rationem reddit, quod liquor orgastice irruens, & flatus sese expandentes, cordis fibras, non secus ac urinæ copia vesicæ fibras, ita dilatent, ut debita illarum constrictio, & ad partes sufficiens sanguinis propulsio fieri nequeat, imo harmonica variorum advectorum unitio, spiritusque vitalis generatio aliquantum impediatur. JOH. BOHNIIUS quoque *circ. Anat. progym. 4.* scribit, se ipsum hoc experimentum frequenter fecisse, causam vero illius effectus, sanguinis compressionem ab aëre, ceu potentissimo hujus coagulatore, statuit: sed modo laudatus CAMERARIUS *l. c.* post canis apertionem cor, ejus cavitates & vasa, aëre valde distenta, in neutro vero sinu sanguinem concretum, at fluidum cum aëre, & spumofum profluentem deprehendit. Ex colapso ab hero inflicto, ancillam quandam humi prostratam, animo defecisse SEGERUS *Eph. Nat. Cur. dec. 1. ann. 2 obs.*



2. *obs.* 122. commemorat. Multos insuper & varios morbos, malignos imprimis, deliquium animi vel comitatur vel sequitur, & fere nullus effatu dignus affectus est, in quo propter errores, vel à Medico, vel ab ægro, vel ab adstantibus, vel etiam in externis commissos, idem non contingere potest. *Morsus* quoque & *ictus* venenatorum, aut rabie prehensorum animalium, ac è plantis & mineralibus petita *Venena*, vel intus assumpta, vel foris admota, huc spectant.

XXVI. Differentiæ hujus affectus, desumuntur vel à *gradibus*, de quibus supra *in th.* III. dictum est: vel à *causis*, defectum spirituum inducentibus, quæ *in th.* XXI. videndæ sunt: vel à *parte affecta*, qua syncope alia per *primarium* cordis affectum, & simpliciter *Cardiaca*, quia vox *καρδία* in propria significatione cor denotat, vocari debet; alia vero per *consensum* aliarum partium, & ex his frequentius ventriculi & uteri, nullum enim membrorum, sicut Galenus *lib.* 1. *de caus. sympt. cap.* 7. loquitur, aut ita exactum sensum (ob copiosissimos & effatu dignos, quibus præditum est, nervos) habet, aut ita utrumque principium, nimirum cor & cerebrum, una secum afficit, ac os ventriculi, quod stomachus, & ab hoc orta syncope *Stomachica* dicitur, licet ab aliis etiam improprie *Cardiaca* nuncupetur. Hæc autem excitatur vel ob dolorem illius, ut in *cardialgia* & *cardiogmo*: vel ob nimiam ventriculi repletionem: vel ab humoribus biliosis, quemadmodum *BINNINGERUS l. c. obs.* 54. annotavit, atque pituitosis & serosis, acribus tamen & mordacibus, stomachum valde vellicantibus, malignis item; his vero omnibus, vel in ventriculo ex mala constitutione, aut pravo victu generatis, vel ab aliis partibus ad illum amandatis, ex quibus non solum terri halitus, cor graviter ferientes, exsurgere, verum etiam massæ sang. heterogenæ partes, quæ crasin ejus variis modis inquinant, accedere solent: quo crudiores quoque dicti humores sunt, & quo tenacius superiori orificio ventriculi adhærent, eo plus negotii illi facessunt. Sicut autem ventriculus, ex ejusmodi contentis per se afficitur; ita quoque à vermibus in intesti.

testinis, & affectis partibus vel nervis abdominis, stomachum plus, minus, simul affligentibus, in consensum trahi suevit. Frequentissimum etiam est illud animi deliquium *per consensum Uteri*, ex fœdis vaporibus vel in ipso, vel circa illum genitis, sursumque ad cor delatis, aut sanguini commistis ortum, quod prægnantes sæpissime, medio gestationis tempore plerumque, usque dum impuritates circa uterum resederint, compatiuntur: cui malo quum hæc fœminæ etiam præ aliis, quæ menses non habent, cum habere deberent, vel venere non utuntur, cum deberent, obnoxia sunt, rationi absolum non videtur, præter varia cacochymia vitia, quæ sibi ex his retentis contrahunt, flatus quoque aut humores, cum impetu ad M. S. ferri, ac peregrinam quandam turgescentiam ibi concitare, qua quia fibræ cordis p. n. magis extenduntur, hisque tensis manentibus, spiritus vitales cum sanguine, ad partes non influunt, miseras quoque istas fœminas, quandoque satis diu, pulsu ad sensum abolito, sine sensu & motu, ad tactum frigidæ, tristissimo spectaculo decumbere. *Synopes Periodica* exempla traduntur à WEDELIO Eph. Nat. Cur. dec. 2. ann. 1. obs. 10. de juvene quodam pistorum laboribus addicto; & de FRANC. BACONO Bar. de Verulamio à Biogéow ejus, quod, quoties Luna defecit, aut eclipsin passa est, repentino animi deliquio correptus fuerit; idque etiam si nullam defectionis lunaris notitiam præviam habuisset: quam primum autem Luna priori lumini restituta fuisset, confestim refocillatus sit, & convaluerit. Puellæ etiam ob mensium difficultatem singulis mensibus, nonnunquam lipothymis tentari possunt.

XXVII. Nunc ad *signa* progrediendum est, quæ vel Diagnostica vel Prognostica. *Diagnostica* aut imminentem, aut præsentem affectum, & ex quibus causis ortus sit, utrum etiam pars affecta primario, an secundario laboret, qua denique ratione à cognatis affectibus differat, declarabunt. *Imminentem morbum*, præcipue in assuetis sequentia symptomata innuunt, Improvisa ob motum materiæ morbificæ anxie-

tas, quam Nostrates ita exprimunt: **Es wird ihnen einmahls ganz wunderbarlich.** Cardialgia, vel titillatio in orificio ventriculi superiore, ab humoribus vel vaporibus acerbis, illudque lancinantibus. Cordis compressio, seu secundum SAL. DIVERSUM l. 4. præfocatio quædam in partibus internis, ac si manu cor ipsum subito constringatur; ob motum sanguinis vitiatum, vel impeditum. Ventris distentio, Rugitus, Tormina; ab humoribus flatibusque inde excitatis, in ventriculo & intestinis discurrentibus. Caligines, Tenebræ, varique colores (Nostr. dicunt, **Es wird ihnen grün und gelb vor den Augen**) ob oculos versantes, una cum vertigine, auriumque tinnitu; ab halitibus, ex inferioribus partibus ad cerebrum assurgentibus, motumque spirituum mire conturbantibus. Pandiculationes, Motusque convulsivi; si dicti halitus acres & mordaces existentes, genus nervosum velliant. Faciei etiam color immutatur, quia spiritus deficere incipiunt. Pulsus interrumpitur; ob interruptum à variis causis motum cordis & sanguinis. Multa adhuc & varia animi deliquium præcedere possunt symptomata, quæ vero non omnia in omnibus, sed modo hæc, modo illa conspiciuntur.

XXVIII. *Deliquium animi adesse, & jam urgere* indicat Pulsus defectio, ejusque languor, ob cordis spirituumque vitalium motum deficientem: motus autem hic non solum, ob cordis à primordiis statim contractam debilitatem; sed & ob nimiam sanguinis redundantiam, ejusdemque post nimias evacuationes defectum, & cum vel nullus plane chylus, vel non laudabilis cor subit, aut M. S. variis *supra alleg.* modis à debita sua temperie deflectit, præpediri potest. Si quoque ejusmodi causa vehementissima existit, aut ægro tardius succurritur, ad sensum quandoque aboletur pulsus, qui Gr. *ἄσπυξία* dicitur; de qua multæ apud Autores prostant observationes, quarum nonnullæ illius, in tantum temporis spatium protractæ, mentionem injiciunt, ut quis miretur, imo vix à se impetrare queat ut credat, quod homo tam diu si-  
ne

ne pulsu superstes esse potuerit. Sensus deinde & Motus non tam perturbatio, quam potius, licet non totalis, privatio; quia peragantur beneficio spirituum animalium, hi autem deficiunt, quod spiritus vitales, illorum materia, cerebro subtrahantur. Hinc signa pathognomonica syncopes sequuntur, Frigus sc. extremarum partium, Sudorque frigidus. Necessario autem extrema frigent, quia calore & spiritu vitali, à quo actualem suum calorem accipiunt, depauperata sunt. Et sudor ille frigidus, Syncopticus, nonnullis etiam Diaphoreticus dictus, quem GALENUS *lib. 3. de caus. sympt. cap. 2.* à syncope inseparabilem, & ex resolutio corporis habitu provenire dicit, erumpit ob virium exolutionem, & virtutis retentricis imbecillitatem: vel clarius ex ETTMÜLLERI *diff. de virt. Opj diaph. cap. 2. §. 18.* aliorumque Recentiorum sententia, ob pororum hiatus, à nimia fibrarum relaxatione, & ex spirituum moventium, seu illas tendentium defectu; quum jam olim HIPPOCRATES *Aph. 71. sect. 5.* pronunciaffet, quibus arida & dura cutis obtenditur, sine sudore mori, quibus vero laxa & rara, cum sudore vita defungi. Frigidus est, quia colore cum spiritu vitali non influente, partes extremæ ac cutis quoque ipsa refrigerantur, per quam cum sudor transeat, fit, ut ipse quoque frigidus evadat, idque eo magis, quando externum frigus accedit, illumque quasi exprimit. Hujus sudoris materiam, propriam partium humiditatem substantificam resolutam, plures censent; quare HELMONTIO *tr. Latex hum. negl. inscripto num. 15. & 17.* nihil aliud est, quam mucilago rorida nutritiva partium subcutanearum, quæ sub syncope resoluta foras, qua data porta emanat: verum præter hanc excrementitias etiam humiditates in poris adesse, & una cum dicta partium humiditate, in sudorem converti, verisimile viderur. Is quoque potissimum in fronte, temporibus & cervice exit, quia cutis ibi tenerior & porosior est. Præterea respiratio admodum obscura, imo fere nulla observatur; quoniam motus diaphragmatis & musculorum thoracis, quorum ope respiramus depen-

det ab influxu spirituum animalium, his igitur ob defectum vitalium non influentibus, necessario tali modo respiratio læditur. Hanc etiam ob causam sphincteres vesicæ & alvi interdum resolvuntur, ut harum excrementa sponte effluant.

XXIX Quod ad signa causarum attinet, spirituum defectus, ob læsam horum generationem, cognoscitur ex inedia, deficiente enim chylo, materia sanguinis, deficit quoque materiaturum, sanguis nim. & consecutive etiam spiritus vitalis; ex prægressis nimis & enormioribus quarumcunque partium hæmorrhagiis; ex læsa cordis actione, qualis in febribus pestilentialibus, malignis, ardentibus & colliquativis, marasmo &c. fieri solet. *Dissipatio* spirituum patet, ex humorum tenuitate, & corporis constitutione ad διαφάνειαν prona, ex prægressis laboribus & exercitationibus vehementioribus, æstu nimio, ἀγρυπνία, literarum studiis assiduis & diuturnis, curis & similibus; ex omnibus quoque immodicis cujuslibet materiei, per quemcunque etiam locum factis, evacuationibus. *Suffocatio* eorum indicatur, si terror, metus, consternatio repentina præcessit; si plethoricus corporis habitus, aut dispositio sanguinis scorbutica, aut dolor circa cor adest; si ex ingluvie crassi ac crudi humores cumulantur, vel μετέστροφος materiæ subita in cavitatem thoracis facta est, vel hypochondria à flatibus turgent. *Aversionis* spirituum argumento sunt acerbissimi cruciatus, quales in hemicrania, colica, iliaca passione, nephritide &c. conspicui sunt. Spirituum *corruptionis*, venenatæ aut malignæ alterationis indicia præbent, inopinatus magis & vehementior, quam qui ex aliis circumstantiis, simul existentibus, deduci possit, ægri lapsus, morbi maligni & pestilenciales, epidemice grassantes, cacochymicæ ablentia, quam urina sanorum similis, & alia signa manifestam reddunt; malignis enim morbis solenne est, ut quandoque spiritus magis & citius, quam humores aggrediantur. *Venenum* assumptum, vel ab animali morsu aut ictu communicatum, multaque alia, ex relatione ægri & adstantium patere possunt. *Vitiosa* denique *dispositio* partium, & humo-  
rum

rum cum alimentariorum, tum excrementitiorum, tam in vasis quam extra hæc, ex suis signis innotescit. Cæterum si ab ipsius cordis affectibus, variisque in illo contentis, aquæ pericardii defectu, tuberculo rupto, & similibus causis in *lib. XXV.* nominatis, hoc malum provenerit, plerumque fere non nisi post mortem, ex apertione cadaverum detegi solet.

XXX. Utrum vero cor *per essentiam*, an *per consensum* laboret? propria singulorum viscerum officia, vel integra, vel impedita ostendunt; simulque varia accidentia, prout vel præcesserunt, vel supervenerunt, illud magis aut minus affectum esse significant. In essentiali deliquio animi, nullum manifestum in alia parte corporis virium, sed plerumque tum manifestæ, tum occultæ, ut dici solent, cordis intemperies observantur, nec ullus etiam alius affectus, nec febris, nec inflammatio adest. Quod si vero ventriculi affecti signa, uti vomitus, nausea, dolor, ejusque morsus præcedunt, ægri etiam sub imminente affectu, de inexplicabili circa regionem stomachi mutatione, vertigine, & caligine oculorum conqueruntur, ex consensu cum ventriculo malum ortum esse patet, & quidem si ex bile accidat, de majori stomachi dolore, vellicatione, oris amaritudine querela est. Quando vero menses imminet, vel difficulter procedunt, aut omnino quoque emanent, aliaque affecti uteri signa præsto sunt, ac animi deliquium obrepit, sympathicum ex utero dicitur. Idem de aliis partibus esto iudicium.

XXXI. A cognatis affectibus syncope distinguitur, & quidem ab *Apoplexia*, subjecto, hujus enim pars primario affecta est cerebrum, illius vero cor: causâ, quæ in hac est denegatus spirituum animalium influxus, in illa vero vitalium subitus defectus: pulsu, qui non ita insignitor in hac, ac in illa mutatur, nisi jam instante morte: adjunctis denique, quoniam in apoplexia respiratio stertorosa, rubicundus adhuc ut plurimum faciei color, & totius corporis calor, ab initio observantur, atque paralytis insequitur; in syncope vero facies pallet, extremaque statim frigent, & brevis vel ad salutem, vel

ad mortem terminus est. Ab *Epilepsia*, ceu in qua cerebrum & genus nervosum imprimis afficitur, unde motus illi convulsivi, qui in syncopē non sunt: interdum tamen deliquium animi, aut potius animi seu sensuum perturbatio, epilepsiam SENNERTO *l. c.* teste præcedere potest. Ab *affectibus soporosis* etiam, multis modis diversum esse deliquium animi, facile reperiet, qui illorum essentiam & accidentia in libris Practic. investigabit. *Catarrhus suffocativus* ratione partis affectæ non omnino à syncopē distinctus videtur, cum ex CONR. VICT. SCHNEIDERO *lib. 5. de Catarrh. cap. 4.* satis pateat, illum etiam ab impedito sanguinis motu, in corde vel circa cor, à variis causis inducto fieri, & frustra quandoque cerebrum, licet plane excludendum non sit, accusari; hinc ETTMÜLLERO *coll. pr. p. 1. c. 14.* illa syncopē cardiaca, in qua sanguis in corde, aut circa cor stagnat, & quasi immobilis hæret, & catarrhus suffocativus unum idemque sunt, quandoquidem ex sanguinis impedito circa cor & in pulmonibus motu oriuntur: differt igitur magis in eo, quod in syncopē non talis respirandi difficultas, nec periculum suffocationis, tussis, materiæ viscidæ, interdum etiam spumosæ ex ore excretio, ac in catarrho conspiciantur. In *suffocatione Uteri* (Nostr. *Mutterschwachheit*) omnia fere symptomata syncopes, nisi quod illa diutius hæc nonnunquam duret, videntur: pulsus siquidem sæpe ad sensum etiam aboletur, extrema frigent, sudorque frigidus in apricum erumpit; quare potius ad ipsam personam respiciendum est, an non de hac præsumi possit, utrum non bene valere, atque ex hoc syncopen ortum suum traxisse.

XXXII. Si porro *Prognostica* hujus affectus confiderantur, syncopen, quia juxta ARETÆUM. *l. sup. al.* vincula potestatis vitam fovētis, hominisque constitutionem dissolvit, ut hinc PAUL. ZACCHIÆ *tom. 3. quest. med. legal. cons. 30. num. 4.* syncopē mors incipiens, & mors syncopē consummata audiatur, morbum periculosissimum, & tum ratione essentiæ, tum partis affectæ ejusque virtutis, satis magnum denunciant, qui vero non semper tantus sit, ut nobis omnem spem salutis præci-

præcidat, sed in leviori gradu curationem adhuc admittat. Hæc igitur alicujus spei esse potest, si deliquium animi fiat in corporibus cætera sanis, à causa evidenti & externa facile mobili, terrore v.c. timore, mæstitia, aut alia vehementi animi perturbatione; ab immodicis etiam evacuationibus, quibus cito convenientibus remediis subveniri potest. Auxilium medicum quoque fertur, si per consensum aliarum partium v.g. ventriculi excitetur, præsertim quando hujus nimia repletio, aut humores excrementitii, facile mobiles, solum in causa sunt; ab his enim liberato ventriculo, sponte cessat: minus vero, si phlegmatici & viscosi humores, ejus orificio, vel tunicis tenaciter adhærent. Sic & levis illa, quæ ab utero originem ducit, animi defectio censetur, quoniam plerumque mulieres huic assuetas invadit, nec ita premit, quin brevi tempore, levibus adhibitis præsiidiis, ad se redeant: verum hæc non ita parvi æstimanda est, cum sequior sexus in se infirmior sit, & hoc malum, incremento sensim & sensim sumpto, altiores radices indies agat; imo experientiæ fide exploratum sit, fœminas sic affectas, non raro Medicis & adstantibus, præprimis muliebri profluvio præsentibus *Aph. § 6. sect. 5.* difficile curationis pensum dare. Cæterum quo nobilior, aut magis læsa est pars, quæ cor in consensum rapit, eo majus quoque periculum; quo vero ignobilior aut minus læsa est, eo minus est: sic & pro majori vel minori *ἀνεμοία* M. S. Viriumque valore, major vel minor salutis spes relinquatur.

XXXIII. Hinc autore *ÆGINETA lib. 3. cap. 34.* longe abest, ut Medicorum auxilium admittat, si cor ipsum primaria affectione, puta phlegmone, igne sacro, dyscrasia vehementi per febres acutissimas laboret; si vulnere *Aph. 18. sect. 6.* maxime circa sinistrum ventriculum perfectum sit, nam *P. OVIDIO epist. ex Ponto lib. 1. ep. 3. v. 21.* canente

Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas;  
Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Summum



Summum etiam discrimen est, quando ægri post irrorationem faciei per frigidam, aquam Rosarum &c. post exhibitionem vini vel aliorum spirituosorum, post ptarmica ad se non redeunt, & si in corpus debile incidit. Desperata salus est eorum, qui ob magnam crudorum humorum copiam febricitantes, & venticulo aut hepate phlegmone laborante, syncope corripuntur; similiter qui ob humores tenues, per febres omnino concidunt, & viribus languentibus aliquod viscus inflammatum habent, annotante GALENO *lib. 12. M. M. cap. 3. & 6.* Nec periculo vacat illa à tuberculi introsum eruptione *Aph. 8. f. 7.* animi defectio, quippe cui manus medica non facile succurrere potest: simile fere quid accidere videtur in illis, qui omnes partes variolis obsitas habent, & ab initio quidem adhuc bene valent, his vero rumpentibus, ex improvviso incipiunt viribus languere, animoque deficere, morte etiam nonnunquam subsequente; nam hoc exinde etiam evenisse, non tamen exclusis aliis causis, probabile est, quod variolæ in internis quoque partibus, quas non minus ac externas infestare solent, copiosæ vel majores adfuerint, & circa idem tempus ruptæ sint, idque eo magis, si admodum maligna illarum materia extiterit. Tandem derepente illos mori, qui sæpe & vehementer, sine causa manifesta animo relinquuntur, HIPPOCRATES *Aph. 41. sect. 2.* pronuntiavit. Sudor quoque frigidus, imprimis copiosior, pessimus est; & ut causa, quæ partes solidas humido suo privat; & ut signum, quatenus habitum resolutum, qui humores suos amplius retinere nequit, significat. Mortuus interim quam vivis similiores sunt, quibus urinæ & feces alvinæ sponte exeunt, vultusque est exitiosus, ab HIPPOCRATE *lib. prænol. f. 2.* descriptus, & ideo facies Hippocratica dici solitus.

XXXIV. Syncope *Paroxysmus* ex acutissimis est, ut plurimum brevi, nonnunquam etiam satis diu perseverans, & vel ad salutem, dissipatis causis, vel ad mortem repentinam, penitus nimirum succumbente virtute vitali, tendit: quapropter C. HOFMANNUS *l. 6. cap. 80. §. 7.* monuit, non omnes, qui subito moriun-

moriuntur, apoplexia mori, & frustra sæpe causam, ab Anatomicis in capite quæri, cum in thorace sit. Nec statim quoque salus promittenda est, si æger à syncope sibi reditur, nisi pulsus calorque vividus redierit: frigidus enim manens mox in illam relabitur. Sed satis de his.

XXXV. Ad *Curationem* tandem deveniendum est, quæ omnino maturari debet; nam HIPPOCRATE *lib. 1. de morb. sect. 4. ix. 2.* dicitante, temporum occasiones maxime repentinæ sunt in his, quibus animo defectis opitulari oportet. Quum etiam GALENI *lib. 3. M. M. cap. 9.* iussu illud primo curandum, à quo primum maximeque homini imminet periculum, atque animi deliquium symptoma urgens sit, ad id præ aliis omnis sollicitudo dirigenda, ubi vero inducias dederit, ad causas respiciendum est. Hinc illius curationem in duo tempora, unum videlicet paroxysmi seu accessionis, alterum intermissionis, dividi posse arbitror.

XXXVI. In *Paroxysmo* æger ante omnia excitandus, deinde spiritus, quocumque modo ac præsidio licuerit, refocillandi aut resarciendi sunt. Suscitatur autem æger, prius in convenientem locum, & debitum situm collocatus, acclamatione nominis, vellicatione, frictione, punctione, aspersione aquæ frigidæ (more à Trojanis etiam recepto, qui teste HOMERO *Iliad. 14. v. 435.* Hectorem vulneratum, languentemque hac ratione animo restituerunt) irroratione faciei per aquas vel alios liquores spirituosos v. g. Aq. Rosar. Namph. Acet. rosac. Fl. Tunic. &c: item naribus copioso aëre vel sternutatoriis insufflatis, vel rebus odore fragrantibus, aut cæpa dissecta, qua mulierculæ pro suscitandis recens natis uti consuevere, iisdem tantum admotis; ex quibus spir. sal. Ammoniaco, qui penetrantissimus est, prævalet. Sale labiis aut linguæ affricato, HILDANO *epist. 43.* suasore. Osculum etiam patienti, ab adamata persona fixum, ex animi deliquio excitasse FRANC. JOËL. *pract. lib. 3. sect. 2. qu. 3.* vidit. Spiritus deinde *Aph. 11. sect. 2.* facilius potu i. e. humido vel liquido, quam cibo, qui siccus vel solidus est, re-

ficiuntur, cum ille citius, quam hic penetret; quæ enim brevi  
 extenuata sunt corpora, repente reficere oportet *Aph. 7. sect.*  
 2. In quem finem medicamenta Cordialia dicta, quorum  
 materia à MELCH. SEBIZIO *l. 6. cap. 3.* aliisque descripta est:  
 prostant, ex his apud nos, reliquis tamen non exclusis, pro  
 interno usu usitiora Aq. Cinnamom. Aq. illa vulgaris  
 Perlarum, vulgo *Krafftwasser* dicta, Aqua Carbunc. Con-  
 fectio Alkermes & de Hyacintho: quæ ex parte non longio-  
 ri illa via, per venas lacteas & ductum thoracicum, sed com-  
 pendiosiore, per ventriculi poros in venas, & per has cum  
 sanguine ad cor pervenire, cum GOTHOFR. MOEBIO *Epit.*  
*Inst. Med. lib. 1. cap. 9.* credendum videtur. Extrinsecus quo-  
 que tempora Balsamo Apoplect. vel aliis illinuntur: nodu-  
 li aquis & acetis cordialibus imbuti, præ naribus tenentur:  
 cordis regioni & carpis Epithemata, Fomenta, Sacculi, Lini-  
 menta ex Theriaca, Mithridatio, aliisque parata applican-  
 tur; inunctio vero cum oleo Scorpion. magno Matthioli,  
 & ol. destill. Citri, additis aliquot guttis ol. Cinnam. aut si-  
 milis, magis conveniens est. Quorum omnium formulas  
 si quis desiderat, multas & varias in Practicorum libris repe-  
 riet. Vix verò aliquid magis & citius vires recreat, quam  
 Vinum vetus generosum, Malvaticum aliudve, aut panis  
 eo madidus. Quod si autem miser ægrotans viribus ita ex-  
 haustus sit, ut os nec aperire, neque claudere, multo minus  
 debite aliquid deglutire possit, loco misturarum, quæ ori di-  
 ducto cochleatim infundi solent, sal aliquod volatile, vel o-  
 leum aliquod Aromaticum, temperata vero cum aliis ob  
 illorum acrimoniam, linguæ affricare commodius erit: hæc  
 vero ad guttas III. IV. pluresve subinde in ægrorum os, ac  
 in primis per infundibulum argenteum, aureumve ad fau-  
 ces usque immittere, quo tum in ventriculum ac intestina, tum  
 in asperam arteriam, usque ad ipsum sanguinem, in pulmonum  
 vasis hærentem, penetrare possint, prout SYLVIVS *l. 6. cap.*  
 19. §. 76. præten dit, ob periculum suffocationis inde metu-  
 endum, cum alioqui trachea, ne quicquam forte incidens,  
 sine

sine molestia admittat, tutum esse nequit. Notandum tamen primo, ut, si fieri possit, in morbis calidis frigida, Rosæ & harum aquæ, Violæ, acetum &c. in frigidis vero calida adhibeantur. Deinde, ut in fœminis, quæ suaveolentia non ferunt, potius graveolentia e. c. Castoreum, Ata fœtida, pennæ accensæ &c. ac ubi genium mulieris nescimus, ea quæ medio quasi modo se habent, ut Ruta, Caryophylli, N. M. vinum, in usum trahantur; quo etiam in casu, ETTMÜLLERUS *coll. pract. part. 1. cap. 16.* Spir. salis Ammon. commendat. Hujusmodi vero omnia, quæ in paroxysmo pro emovendis spiritibus admoventur, effectum suum, partim materiam illis analogam subministrando, partim vehementiora objecta sensibus offerendo, præstant.

XXXVII. *Extra Paroxysmum* ad sanguinem respiciatur, ut hujus motus promoveatur, & varia cacochymia vitia, in illo latentia, viscerumque labes, à quibus sanguinis & spiritus vitalis generationi remora injicitur, corrigantur. Morbis etiam, symptomatibus & causis, à quibus spirituum jactura, quoquo modo fieri potest, occurrendum, partibusque affectis, per quarum consensum animi deliquium contingit, prospiciendum est. Nota vero, quod in hoc æque ac in aliis affectibus, quoad liceat, curatio semper inchoetur ab eo, quod in resolutione ultimum est, causa videlicet remotissima: cum frustra in removendis causis propinquiorebus laboretur, nisi prius remotiores sublatae fuerint. Præsidiorum materia, hisce indicationibus adimplendis idonea, ex fonte Medico triplici, Chirurgico nim. Pharmaceutico & Diætetico hauritur.

XXXVIII. Fons *Chirurgicus* suppeditat *Venasectionem*, quod quidem auxilium, primo intuitu securum non videtur; quandoquidem virium lapsus, potius spirituum vitalium refectionem atque restorationem, ex pharmacia & diætâ petendam, quam eorum cum sanguine profusionem requirit. Verum enim vero, cum animi deliquium non semper, vel à spirituum dissipatione vel corruptione, sed sæpe etiam

ab horum suffocatione oriatur, hæcque à copia vel crassitie sanguinis, quæ tali in casu, vasa nimis opplendo & intercipiendo, præsens vitæ periculum minuitur, dependeat, abunde patet, quam utile non modo, verum etiam necessarium sit, sub ipsa quoque accessione, nullo contraindicante dissuadente, venam secare, inita tamen ratione, juxta habitum ac ætatem, an plus aut minus sanguinis detrahere oporteat, HIPPOCRATE *lib. de vict. acut. sect. 37. tx. 1. & 2.* hoc monente; habitus enim corporis *Aph. 2. sect. 1.* si ad summum sit plenitudinis gradum perductus, haud cunctanter solvendus est, ne in deterius recidat: sicut in ejusmodi casu ex V. S. intermissa, infelicem successum DOM. PANAROLLUS *Fatrol. pentec. 1. obs. 13.* notavit. A GALENO vero, qui *lib. 12. M. M. cap. 3.* V. S. in syncope administrandam esse negat, scrupulus injicitur; hic autem facile eximitur, si consideratur, quod *l. c.* de illa syncope, quæ à crudis, & ad evacuationem nondum aptis humoribus est, loquatur, atque *comm. 4. in lib. de vict. acut. tx. 24.* V. S. in ea, quam venarum interceptiones pariunt, adeo non improbet, ut potius maxime commendet atque urgeat. Sic in mensium suppressione, quæ deliquium animi vel minatur, vel infert, V. S. summopere proficua est. Neque minores suppetias terrori, aliisque animi affectibus, spiritus vitales suffocantibus, hæc ipsa fert. *Friktiones* in cruribus primum, in brachiis deinde, superne deorsum, linteisque non admodum mollibus, sed asperitatis mediocri quid habentibus, institutas, in syncope à crudis succis febricitantibus oborta, GALENUS *lib. 12. M. M. cap. 3.* adhibuit: tales autem ab ALEX. TRALLIANO *lib. 12. cap. 3.* reprobantur, & hodie fere omittuntur, nisi interdum statim in paroxysmo, excitationis aut revulsionis gratia, in animi deliquio ab utero, in partibus inferioribus instituantur. Præter ejusmodi friciones *Ligatura* quoque *dolorifica*, artubus in nimis hæmorrhagiis, & *Cucurbitula sicca*, in viris hypochondriorum regioni, in fœminis vero ad mammas *Aph. 50. sect. 5.* pro mensuris sistendis apponuntur; quæ  
cucur.

cucurbitulæ, ex tremis quoque partibus applicatæ, retractioni caloris & spirituum ad partes externas, si quando æger aliis mediis excitari non potuit, inservire possunt, quemadmodum FORTIS *l. c. cent. 2. conf. 59.* scriptum reliquit. *Fonticuli* similiter spem aliquam faciunt, ut in cachexia venenata ZAGURUS LUSITANUS *l. supr. al. obs. 4.* expertus est.

XXXIX. Fons *Pharmaceuticus* suppeditat *Purgantia*, simplicia & composita, eaque varia pro dispositione humorum vitiosorum, tum per os sumenda, tum pro injiciendis clysteribus, interdum solum evacuantibus, interdum simul revelentibus. Nec *Emetica* hic plane excludenda sunt, cum vomitus non solum in ipso paroxysmo, ubi labrum inferius agitatur, & sputum tenue ex ore effluit, locum inveniat; sed & extra eum etiam ventriculum, à collecta biliosa & acrida, pituitosaque aut alia colluvie, quæ præter fastidium, animi quoque deliquium creare solet, liberet: namque venenum assumptum, lancinationibus suis dolores & anxietates excitans, vomitum sine ulla mora deposcit. Ex *Alterantibus* prima sunt *Alexipharmaca*, in corruptione spirituum, ab affectibus malignis, veneno hausto vel foris admoto, adhibenda. *Refrigerantia* deinde, ubi justo major sanguinis rarefactio timenda urget; & varia *Attenuantia* tam volatilia, quam fixa, si motus sanguinis, ob grumescentiam vel coagulationem, cessare observatur, conveniunt: fixa quidem, quia ad cor pervenire non valent, primo intuitu, vix quicquam effatu dignum præstare videntur; sed cum WEDELIO *Amen. med. lib. 1. sect. 3. cap. 5.* dicere sufficiat, quod character ille, quem ex his & chylus & sanguis & serum, ad cor tendentia, secum recepere, facile hic in actum deduci queat. *Carminata* quoque in flatuum copia, hypochondriacis præ aliis familiari, illorum materia prius evacuata, ne magis inflent, in usum trahi possunt. Similiter *Opiata* in grumescencia sanguinis SYLVIVS *l. c. cap. 34. §. 115.* & WEDELIUS *Opiolog. lib. 2. sect. 2. cap. 3.* laudant; major vero effectus istis medicamentis, quibus hæc admiscant, quam opiatis ipsis forsan tri-

buendus est: quod si vero in doloris summa vehementia, deliquium animi accelerante, spirituumque valde nimia dissolutione convenire videantur, Medicus circumspicere agat, tempus quoque & dosin, aliasque id genus circumstantias rite ponderet, ne famæ suæ pariter, ac misero ægrotanti noceat. Notandum denique est, quod medicamenta *Resectiva*, quæ in languore virium, ad has successive recuperandas, pro continuo usu præscribuntur, gustui suavissima, non autem insigniter calida, sed temperata sint, cum *Aph. 16. sect. 5.* calidum frequentiori usu, præter alia incommoda, animi quoque deliquia invehat. *Auro* quoque vis confortativa attribuitur, cujus quemadmodum & Margaritarum, aliorumque Mineralium modum agendi in eo, ut spiritus irradiatione quadam & illuminatione serenent, consistere, modo laudatus *WEDLIUS Amœn. mat. med. l. al.* ad mentem *HELMONTII* statuit: verum cum hoc à ventriculo nostro, uti in vulgus notum est, resolvi nequeat, nihilque virtutis *BOHNIO dissert. chym. diff. 5. §. 5.* teste, in liquores illos appropriatos, in quibus extinguitur candefactum, deponat, ac ex *ETTMÜLLERI Schæd. dilucid. mineral. cap. 9.* assertionem, radicaliter à nullo menstruo dissolvatur, nullumque verum aurum potabile quidam Auctores agnoscant, talem etiam virtutem auro adscribere non sustinent, & Tincturas aliaque ex illo parata medicamenta, magis ad pompam, quam ad usum medicum facere assentunt; aurum igitur potius irradiabit spiritus, si quis tantum illius possideat, quantum prementes angustia, è quibus educendus est, requirunt. Cæterum præter hæc multa adhuc & varia Alterantia, prout vel ventriculus & huic annexa intestina, vel hepar, vel lien, vel uterus, aliaque partes symbolum suum contribuunt, jamque causa, vel calida, vel frigida existit, singulis scopis inservientia, in numerato habentur: verum dictarum partium morbos, hunc affectum inferentes, ostendere, atque horum rationem medendi convenientem, materiaeque medicæ apparatus tradere, ad institutum nostrum non pertinet.

XL. Restat Fons *Diateticus*, ex quo legitimum sex rerum non naturalium usum haurire oportet. Quæ cum causis morbificis oppositæ esse debeant, prudentia Medica facile, quæ in rem præsentem faciunt, adinveniet. Hinc *Aer* purus & serenus, minime inquinatus, & nonnunquam pro varietate causarum, modo calidis, modo frigidis cordialibus alteratus requiritur: ac ubi animi deliquium, à causa resolvente vel suffocante, originem suam habet, & corpus refrigerandum est, moderate frigidus sit; nimis enim frigidus, poros cutis constringendo, & perspirationem insensilem supprimendo, non tantum hoc malum inducit & auget, verum etiam, si cum impetu & in copia ad pulmones defertur, quia *Aph. 24. sect. 5.* frigidum pectori inimicum dicitur, valde nocet, virtutemque vitalem prostermit, sicut in seipso HILDANUS *obs. cent. 5. obs. 34.* expertus est. *Victus ratio* secundum causarum diversitatem, conveniens ordinanda est; cibi in debilitate virium sint *εύπεπτοι, εύχυμοι κ' πολύτροφοι*, tenuisque & spirituosæ substantiæ, juscula caponum ac aliarum laudabilium carniùm, consummata, restaurantia, quæ varia apud Autores reperiuntur. Vinum sicut in accessione illico suscitatur & reficit; ita etiam extra paroxysmum, inter potus celerrime nutrientes, quoniam GALENO *lib. 3. de temper. cap. 2.* teste, minimam mutationem, ut assimiletur, desiderat, infimum locum non obtinet: quando vero calor vehementior, & febris ardens, aut inflammatio interna alicujus visceris, delirium, aut gravis dolor præsens est, ne ignis igni addatur, nulla ratione convenire, modo nominatus Autor *lib. 1. de art. cur. ad Glauc. cap. 14.* notavit. *Quies* in dissipatione spirituum, præprimis si à nimio motu accidit, haud mediocrem utilitatem affert *Aph. 48. sect. 2.* *Somnus* vero, licet post modicam & naturæ convenientem spirituum jacturam, qualis v. g. in amplexu conjugali fieri fertur, suavissimus sit, & vires maxime refocillet; non ubique tamen tutus est, quippe qui post nimiam virium resolutionem, & enormiorem alicujus humoris evacuationem, calorem alio-

qui



qui debilem intro revocando, in animi deliquium præcipitare possit; eandem ob causam puerperæ, quibus mox à partu somnus obrepit, ab hoc arcentur: nocet etiam, quando malum est à venenata materia, dum venenum ad cor rapit. Proinde in ejusmodi casibus ægrotantes per somnum, si omnino aliquantisper concedendus sit, ab assistentibus diligenter observandi sunt. Quoad *Excreta & Retenta* opera danda est, ut ea, quæ secundum ordinarias naturæ leges retineri debent, retineantur, excretiones quoque & consuetæ evacuationes ordinem suum servant: *Æstuaria & Venus* illis, quibus debile est corpus, quoniam spiritus summopere exhauriunt, quam maxime fugienda sunt. *Animi* denique *pathemata* præsertim vehementiora, cum sanguinem spiritusque periculose commoveant, exulent, ac animus, quantum fieri potest, moderato gaudio diluatur, imo tranquillus sit, necesse est. Tantum!

DEO interim T. O. M. pro sua huc usque  
divinitus concessa gratia, in sem-  
piterna secula sit

LAUS HONOR & GLORIA.

